

dignitate constitutæ munitis, eadem prorsus fides in iudicio, et extra illud adhibeatur, quæ ipsis præsentibus adhiberetur, si forent exhibitæ vel ostensæ.

§ 26. Nulli ergo omnino hominum liceat paginam hanc nostræ confirmationis, approbationis, innovationis, declarationis, extensionis, statutorum, decretorum, mandatorum, sanctionis, ordinationis, præceptorum, admonitionis, commendationis, irritationis, cassationis, derogationis, et voluntatum infringere, vel ei ausu temerario contraire. Si quis autem hoc attentare præsumperit, indignationem omnipotentis Dei et beatorum Petri, et Pauli apostolorum ejus se noverit incursurum.

Datum Romæ apud Sanctum Petrum anno Incarnationis Dominicæ millesimo septingentesimo quarto, quinto Idus Martii, pontificatus nostri anno quarto.

(22. Canonicatus, præbendæ, ac dignitates in cathedralibus ecclesiis, principalesque dignitates in collegiatis existentes in regnis Portugalliæ, et Algarbiorum non conferantur aliquibus personis de genere, seu stirpe Hebræorum descendentes usque ad septimum gradum inclusive. Clemens VIII, in litteris ad formam brevis, quas confirmavit et innovavit Paulus V, 1612, 17 Januarii apud Barbos. De Canon. et Dignit. c. 12.

(23. Statuta puritatem sanguinis requirentia in obtinentibus canonicatus sunt exorbitantia, et penalia, ac proinde strictissime interpretanda, quia illis, qui a Judæis originem trahunt, auferunt habilitatem, quæ alias eis competit de jure communi, in cap. *Eam te 7, de Rescriptis* Rota 13 Jan. 1624, in Ulyssiponen. Quaternariæ coram Coccino decano apud Barbos. loc. cit. c. 13, n. 30.

(24. Est invalidum statutum a Capitulo conditum, quod descendentes ex genere infecto, nempe Judæorum, Maurorum, vel Hæreticorum non admittantur ad beneficia ecclesiastica, cum hujusmodi statutum sit contra jus commune, c. *Eam te 7, de rescript.* Rota 28 Junii 1628, in Cordubensi dimidiæ portionis coram Merlino, apud Barbos. loc. cit. cap. ultim., num. 18.

(25. Originem trahentes ab Hebræis vel hæreticis nequeunt recipi in fratres Ordinis Minor. de observantia; nec fratres hujusmodi possunt eligi in ministros provinciales, et guardianos, Clemens VII, 19 Martii 1523, constit. incip. *Officii nostri*; et quamvis Julius III, apud Roderic., in Collect. privileg. regul. tom. 2, Bulla 1 hujus Pontificis, quæ incipit, *Ad hoc*, revocaverit, et annullaverit dictam constitutionem Clementis VII, hanc tamen Julii III revocationem nullam facit, et dicti Clementis VII ordinationem validam declaravit Paulus IV, anno 1559, 23 April. apud eundem *ib.* Bulla 2, quæ incipit, *Cum ex Apostolatus officio*, et dictam Paulinam declarationem confirmavit Pius IV, anno 1564, 5 Decemb. Bulla 3, quæ incipit *Provisionis nostræ*.

(26. Principes christiani licite tolerant in suis territoriis Hebræos, ritusque, et synagogas eorum, Barbos. in cap. *Sicut Judæis*,

card. Petra t. II Comm. ad constit. 1 Honorii III, n. 8, cum pluribus ibi citatis; Pignatell. tom. V, Consult. 14, a n. 79; Engel. lib. v *Decret.*, tit. 7, n. 2, et communis aliorum; arg. c. *Sicut Judæi* 9, et c. *Et si Judæos* 13, de *Judæis*, ibi: « Et si Judæos, quos propria culpa submisit perpetuæ servituti pietas christiana recepit et sustineat cohabitationem illorum; » juncta l. *Nullus* 14, Cod. de *Judæis*, et Novel. 147, cap. 1.

(27. Judæi antiquas suas synagogas restaurare possunt, non autem novas erigere; cap. *Judæi* 3, et cap. *Consuluit* 7, de *Judæis*, ibi: « Judæos de novo construere synagogas, ubi non habuerint, pati non debet, verum si antiquæ corruerint, vel ruinam miuantur, ut eas reedificent potest æquanimiter tolerari, non autem ut eas exallent, aut ampliores, aut pretiosiores faciant, quam antea fecisse noscuntur. »

(28. Judæi, qui in christianorum territoriis semel recepti, et de protectione assecrati sunt, sine justa et legitima causa expelli non possunt. Decian. in. Pract. crim. lib. v, cap. 11; Socinus Consil. 86, lib. iv; Vasquez, *Illustr. contr.* cap. 7, n. 12; Barbos. in cap. *Sicut Judæi* 9, de *Judæis*, n. 4, et alii passim; arg. l. *Nullus*, 14, Cod. de *Judæis*, cui libet enim etiam *Judæo*, et gentili fides iuste data servanda est; arg. l. *Sicut* 5, Cod. de *Oblig. et action.*

(29. Notanter autem dicitur sine justa et legitima causa, quia ob justam et legitimam causam Judæi semel recepti, iterum expelli possunt, arg. l. *Judæi* 11, l. *Judæi* 16, Cod. de *Judæis*; et sic tenent doctores citati n. antecedenti, et Farinac. Frag. crim. part. II, litt. 1, n. 64. Tuscus litt. 1; verb. *Judæi* conclus. 371, n. 58, Trac. de jure personar. extra gremium Eccles. existent. lib. II, c. 51. Pignatell. tom. V, consult. 14, num. 109, citans plures alios. Justæ autem et legitimæ causæ eos expellendi recensentur a Ricciullo loc. cit. a n. 9 a Barbosa loc. c., a Pignatell. loc. cit. a num. 120, quæ, ut ab ipso recensentur, hic ad litteram dantur.

(30. Prima igitur eos expellendi causa est, si versarentur in Regno noviter ad fidem converso, nam quo facilius ibi christiana religio propagaretur, posset indici Judæorum cæterorum ac infidelium expulsio, ut Constantinum fecisse in Ecclesiæ primordiis, testantur Hostiens. in c. *consuluit*, de *Judic.*, Oldrad. cons. 87, n. 2, pro quibus facit textus in canone *Sæpe malorum* 28, q. 1.

(31. Secunda, si in christianam Religionem evadant contumeliosi; arg. d. cap. *Quia super*, et cap. *Et si Judæos*, de *Judæis*. Ob hanc causam exsularunt ab Anglia, propterea quod Uvorvici puerum christianum in die Parasceves in nostræ Religionis contemptum cruci affixerunt. Idemque fecerunt Judæi Nordovici degentes, ut refert D. Antonin. part. II Histor. tit. 26, c. 1, § 6, et Polydor. Virgil. lib. XVI Histor. Anglic. Et ob similem causam anno 1510, e Marchia Brandeburgensi generali edicto sub pœna capitis proscripti sunt, ac quadraginta ipsorum exusti, ex eo quod unus ipsorum Sacratissimam

Christi Hostiam, quam pharisaica infidelitate coemerat, crebris pugionum ictibus confodere nixus erat, Hostia semper integra permanente; reliqui vero plurimos christianorum infantes ictibus et punctationibus peremisse fassi sunt, Surlus de Reb. in orbe gestis sub anno 1510.

(32. Tertia, si seditioes excitent, aut aliter in nos delegantur injuriosi, ut recte colligitur ex d. l. *Christianis*, c. de *Pagan.* Hac de causa imperante Phœa ejecti fuerunt Antiochia; ingentem enim christianorum multitudinem ferro conciderant, vel igne exusserant, necnon et Anastasium ejusdem civitatis antistitem fœda morte affecerant. Nicephor. lib. XVIII, cap. 44.

(33. Quarta, si in tam magnum numerum excreverint, ut inde timeri posset proditio, d. l. *Christianis*, ibi: « Nihilque turbulentum tentantibus. » Quam ob causam abire coacti sunt e regnis Hispaniarum, ut patet ex const. Granat. prag. 5 et 6, anno 1491, et ex concilio Toletano capite 8.

(34. Quinta, si Leges non servent, ut probat textus in d. l. *Christianis*, ibi: « Nihilque tentantibus turbulentum, legibusque contrarium. » Quapropter ejecti fuerunt Parisiis anno 1180, per Philippum Francorum regem; nam contra ecclesiastica decreta in domibus suis servos christianos et ancillas habebant, eosque ex aliqua parte cogebant judaizare, ut testatur Jo. Naucler. gener. 40.

(35. Sexta, si ita divites evaserint, ut ex facultatum augmento aliquid inconueniens suspicari possit. In his enim casibus possunt, vel in facultatibus ex aliqua parte multari, ve. in parte ejici, prout casus qualitas exquirat; quia potest princeps ex causa publicæ utilitatis tollere dominium rerum a subditis; leg. *Si quis sepulchrum*, ff. de *Relig. et sumpt. fun.* Roman. cons. 310, sub n. 2; Ang. cons. 139, n. 3; Fulgos. cons. 143, num. 3; Felin. in cap. 2, post princip. de constit.; Decian. cons. 352, sub init. et in cap. *Quæ in ecclesiarum* num. 19 de constit.; Grammat. cons. 8, num. 8, in civile, et cons. 190, num. 11. Tum etiam quia Judæi tolerantur ex commiseratione, et ut ipsi tandem convertantur ad fidem, non tamen, ut officere possint christianis. Isern. in constit. *Si quis in posterum*, tit. de *Judæis*.

(36. Et generaliter quidem expulsionis exempla suppeditant superiorum temporum annales. Nam sub Imperio Caroli IV, anno 1348, Judæos, ex eo quod ex fontibus per ipsos veneno infectis, pestis universalis orta diceretur per totam ferme Europam, flammis, aliisque suppliciiis absumptos ex Jo. Nauclero recenset Seb. Franc. Chron. Germ., fol. 198 et 199, et præcipue 205. Plura expulsionis Judæorum exempla ex historicis refert Marquard. de Susan. Tract. de *Judæis*, pag. 1, c. 7, n. 2.

(37. Et de facto talibus vel consimilibus justis causis intervenientibus jure merito expelluntur; eo vel maxime, quod Judæi censentur personæ odiosæ, et infames, cap. *Cum sit*, de *Judæis*, leg. final. Cod. de *Judæis*. Inimici crucis Christi Redemptoris nostri;

cap. *Licet universis*, Extrav. de *testibus*, et ejusdem nominis blasphemii, cap. 1, c. *Cum sit nimio*, Extrav. de *Judæis*, et ut constat ex eorum Thalmud; quod ut observat Sixtus Senensis lib. IV Biblioth. Sac. est ingens. et vastum opus Judaicarum traditionum, in quo decreta omnia rabbinorum collecta sunt, Sammai, Hillel, Akiba, Joseph, et filiorum Asamoni, una cum aliis innumeris aliorum magistrorum statutis, sententiis, et tam divinarum, quam humanarum legum expositionibus, quibus nunc tota Judæorum natio regitur. Ab aliis vero vocatur jus judaicum, tam civile, quam canonicum, doctrinale etiam, ac Pandectæ, et Digesta. Cœptus est autem anno a Domino Jesu 100, ad finem perductus anno ejusdem 400. Sed Ben Majemon in compendium redegit Thalmud, et scripsit anno 1150, et habetur secundo loco post Bibliam, et tantæ est auctoritatis, ut Thalmud, continens innumeras ineptias, fabulas, impietates, contumelias, blasphemias, imprecationes, maledictiones, hæreses, et hujusmodi, quarum variæ hic ad litteram subnectuntur, ut referuntur a Pignatello t. III, consult. 14, n. 11.

(38. « Deus ante mundi creationem, ne otio torpesceret, exercebat se in exstruendis variis mundis, quos, ubi condiderat, paulo post destruebat, atque iterum restaurabat, quoadusque hunc, quem nunc habemus, mundum facere didicisset. Ordin. 1, tr. 5, diet. 6.

(39. « Deus tres primas horas diei totas insumit in lectione legis Judaicæ. Ord. 2, tract. 1, dist. 14.

(40. « Moyses cum aliquando ascendisset in cœlum, invenit Deum scribentem accentus in Scriptura Sancta. Ordin. 5, tract. 6, dist. 5.

(41. « Deus die prima novilunii mensis Septembris judicat universum orbem; reliquis deinde sequentibus decem ejusdem lunæ diebus applicat se ad scribendum justos in libro vitæ, malos vero in libro mortis. Ord. 2, tract. 8, dist. 5.

(42. « Deus quotidie orationes et præcationes animo devoto peragit. Ordin. 1, tract. 1, dist. 1.

(43. « Deus habet locum quemdam separatum, in quo statutis temporibus multis cum lacrymis deflet, ac se ipse affligit, quod Judæis iratus templum everterit Jerosolymitanum, et populum suum in captivitatem disperserit. Ordin. 2, dist. 5, et ordin. 1, dist. 7.

(44. « Deus quotidie imponit sibi circa caput et brachia vittas, sive corrigiolas quasdam coriaceas *Thephilin* appellatas, induitque se tunica quadam lineæ, quæ *Zizith* nuncupatur, eoque modo ornatus procumbit in genua, et orat. Ordin. 2, tract. 8, dist. 5.

(45. « Deus præcepit populo Judæorum, ut singulo quoque novilunio sacrificium expiationis peragant ad expiandum scelus perpetratum a Deo, quando lumen, quod injuste lunæ ademerat, soli attribuit. Ord. 4, tr. 5, dist. 1.

(46. « Deus quotidie reminiscitur calamitates, quas Judæi a gentibus patiuntur;

lacrymas duas effundit in Oceanum, et præ dolore pectus utraque parte contundit. Ord. 2, tr. 1, dist. 9.

(47. « Deus quinta die creavit pisces duos magnitudinis pene interminatæ *Leviathan* appellatos, quorum corporum vastitatem cum ipse secum animo perpenderet, veritus ne omne piscium genus a tam magnis belluis deglutiretur, et ne ab ipsis mare universum navigiis invium redderetur, sicque humani generis commercia prorsus tollerentur, si ex iis proles propagaretur, occidit femellam, et ex ejus salitis carnibus salsamenta delicatissima paravit justis et electis suis post hanc vitam comedenda, masculum vero sibi vivum reservavit, ut cum eo subsecivis diei horis quotidie luderet; juxta illam Psal. ciii sententiam: *Draco iste, quem formasti ad illudendum ei*. Pro quo Hebræi legunt: *Leviathan iste, quem creasti, ut cum eo luderet*. Ord. 4, tr. 3. Itaque.

(48. « Deus tribus postremis diei horis laxandi animi gratia ludebat olim cum pisce illo vastæ magnitudinis *Leviathan* dicto. Ord. 2, tr. 1, dist. 14, et Ord. 4, tr. 8.

(49. « Deus ignota de causa indignatus pisci magno *Leviathan* dicto, ipsum occidit, carnesque ejus sale condidit, ut ex eis cibum ministraret animabus sanctorum in futuro sæculo. Ord. 4, tract. 3, dist. 5. »

(50. Paulo aliter de *Thalmude* refert Hieronymus de S. fide, ex Judæo christianus, qui fuit Medicus Bened. XIII, nuncupati Petri de luna circa an. 1442, lib. 1, contra Judæos c. 9, ubi sic scribit: « Dicitur in *Thalmud*, quod animal *Behemoth* est omnium animalium majus, et quod masculus et femina fuerunt ab initio creati. Videns autem Deus, quod si filios genuissent, præ illorum magnitudine et multitudine totus mundus esset destructus, castravit masculum, et refrigeravit feminam, quam custodit, ut det eam justis tempore Messie ad comedendum.

(51. « Item piscium squamas non habentium accipiunt majorem, quem *Leviathan* appellant, et dicunt, quod Deus habet ipsum salsum, ut eum det justis ad comedendum in futurum, in tantum quod multi hodie reperiuntur, qui partem suam hujus *Leviathan*, quam comedere sperant, multo auro, et argento minime commutent, et ad veritatem rationem habent. Ego namque Hieronymus de S. fide hujus opusculi compilator, non dimitterem, pro maxima pecuniæ quantitate, partem meam congrui, aut lampredæ, quem, postquam agnovi Messiam veracem, comedere haud consuevi.»

(52. Proxima his est fabula aliorum Hebræorum, qui, ut ait Albertus apud Dionysium, asserunt *Leviathan* esse serpentem, seu piscem, qui circulo sui corporis totum terræ ambit globum, quique solem, ac radios apprehendere nititur, et volare; sicque solem in circulo suo semper agitat fugientem. Vastum animal, sed fabulosum, qualia multa fabularis Judæorum theologia pro-

generat. En qualis bellua est *Behemot*.

(53. Ex Lyrano autem Judæi dicunt, quod in una die depascit herbas mille montium, et crastino renascitur herba in tanta magnitudine, sicut erat in præcedenti die. Et ad hoc adducit Rabbi Samon super istum locum auctoritatem Psalmi XLIX, in quo, uti habemus, *Jumenta in montibus, et boves*, Hebræi dicunt, *Behemot in montibus mille*. Translatio ab Hieronymo sumpta immediate de Hebræo habet, *Pecudes in montibus millium*.

(54. De hujus autem belluæ magnitudine hæc item leguntur ex Hebræorum sententia apud Albertum et Dionysium. Quod *Behemot* sit bos, ejus corpus septem milliaria contineat, collum unum, et caput unum; sicque novem milliaria in universum contineat, cujus cauda sit quasi silva cedrina. Ingens procul dubio, et immane non tam animal quam mendacium, inquit Joannes Pineda. Sed si non mentiuntur, addit idem, at somniant procul dubio homines veræ sapientiæ, veræque theologiæ expertes, quod viros mediocris sapientiæ pudet, et somnari. Adjungunt Judæi quod in resurrectione Deus occidet illud animal, ut justis paret convivium. Quam sollicita est de convivio alterius vitæ, salitisque carnibus Judæorum natio!

(55. Similis est fabula apud Eliam Thesbitem in *Jucina*, ubi sic habet: « Invenitur in *Agadab* avem esse magnam, quæ vocatur *Bariuchna*, cujus ovum miræ magnitudinis esse dicunt in *Massechet Becheroth*. » Etiam audi, quod Deus tandem in futuro sæculo ex eo justis paraturus sit convivium una cum *Leviathan* et bove. Sed nondum fabularum judaicarum est finis. Quæ sequuntur translata sunt e *Thalmude*:

(56. « Deus semel quoddam irascitur, et tunc crista gallorum gallinaceorum ruborem emittit, ipsique interim uno pede stant. Tunc si quis eodem momento alicui maledixerit, is statim concidet mortuus. Ord. 1, tr. 1.

(57. « Cum olim Rabbini quidam adversus Rabbi Eliezer disputationem iniissent, Deus voce cœlitus dimissa, sententiam contra illos pro Rabbi Eliezer protulit, quamobrem indignati rabbini Deum anathematis pœna damnarunt. Tunc Deus ipse subridens, Filij, inquit, mei me vicerunt. Ord. 4, tr. 2, dist. 7.

(58. « Cum Deus die quadam in cœli curia dissereret de specie quadam lepræ, quam ipse mundam aiebat esse, cæteris dissentientibus rabbinis, qui immundam esse affirmabant, lis tamen communi omnium assensu devoluta est ad sapientissimum quemdam rabbinum, qui cum sententiam proferre pararet, statim ejus anima, relicto corpore, vociferari cepit: *Mundam, mundam*. Ord. 4, tract. 2, dist. 7.

(59. « Tanta fuit olim in rabbino quodam prudentia, ut diabolum simul et Deum hoc astu eluserit. Cum rabbinus in extremo vitæ articulo laboraret, diabolum precibus exorat ut sese jam moribundum ad portas

usque cœlestis regni deducat, ut inspecto ideo loco divinæ habitationis, lætus ex hac vita decedat. Hanc gratiam cum diabolus veteri amico præstitisset, rabbinus illico se intra portas Cœli conjiciens, juravit per Deum viventem se nunquam inde recessurum. Qua de causa coactus est Deus hominem apud se retinere, ne illum perjurum faceret, sicque hac una arte prudentissimus vir Deum et diabolum simul fefellit.

(60. « Cum angelus Gabriel flagitium grave commisisset, Deus jussit eum igneo flagello flagellari. Ord. 2, tr. 5, dist. 8.

(61. « Animæ hominum migrant de corpore in corpus hæc lege, ut si anima in primo corpore peccet, mittatur in secundum, in quo si iterum peccet, mittatur in tertium corpus; in quo si peccare non desistat, denique in gehennam detruditur. Ord. 4, tr. 2.

(62. « Anima Abelis migravit in Seth, anima Seth in Moysen. Ibid.

(63. « Animæ hominum indoctorum in resurrectione non recipient corpora sua. Ord. 3, tr. 1, dist. 3.

(64. « Rabbini duo singula quaque hebdomada pridie Sabbati duos vitulos creabant, quos deinde totos comedebant. Ord. 4, tr. 4, dist. 2.

(65. « Quicumque ter in Sabbato comedere vitam æternam consequetur in altero sæculo. Ord. 3, tr. 1, dist. 6.

(66. « Nihil comedi debet numero pari, sed impari; hoc enim numero maxime delectatur Deus. Ord. 4, tr. 2, dist. 7.

(67. « Si quis oraverit facie ad meridiem conversa sapientiam consequetur; ad Septentrionem vero divitias. Ord. 4, tr. 3, dist. 2.

(68. « Si quis sub ventre cameli, aut intra duos camelos, aut inter duas mulieres pertransierit, nihil unquam ex *Thalmud* poterit ediscere. Ord. 4, tract. 10, dist. 2. »

(69. Gemina superioribus fabula est, quod tempore Messie Judæa proferet Judæis panes coctos, et vestes sericas cuique Judæo accommodatas.

(70. Quod Deus Adamo creaverit duas mulieres, ex quibus texunt fabulatores genealogias interminatas, ut ex Augustino refert Beda in *Epist. 1 ad Timoth.*

(71. Quod Deus antequam legem suam daret Israelitis, eandem præsentavit Idumæis, et Ismaelitis, quorum illi habitaverunt in *Seir*, hi vero in deserto *Pharan*. Idumeos autem rejecisse Legem cum audivissent quintum præceptum: *Non occides*. Recordabantur enim, quod patri eorum dictum esset: *Vives in gladio*. Ismaelitæ vero eandem rejecisse, dum audissent sextum præceptum: *Non mœchaberis*. Id fabulantur, dum exponunt illa *Deut. xxxiii, 2: Dominus de Sinai venit et de Seir ortus est nobis: apparuit de monte Pharan, et cum eo quinquaginta millia*.

(72. Quæ postrema, ut exponunt, fingunt fuisse in datione Legis in monte Sinai animas omnium Prophetarum, qui postea inter Judæos prophetaverunt, ac singulos eo tem-

pore et loco accepisse prophetias suas, quas ediderunt. Addunt etiam fuisse inibi omnes rabbinos conditores *Thalmudi*.

(73. Hæc sufficerent ad exhibendam formam theologiæ fabularis Judæicæ. Sexcenta alia enarrari potuissent, sed modus servandus fuit. Notum enim est, Judæorum rabbinos post Christi Domini anastasim Sacram Scripturam fabulis a se confictis fœde contaminasse. Quarum fabularum non paucæ sunt in libro dicto *Thargum*, qui Chaldaicam translationem continet.

(74. Adversus autem Legem Moysis hæc habent: « Quod licitum sit cum propria uxore masculino concubitu uti. Quare cum duæ mulieres essent de hac re apud Synagogam conquestæ, responderunt rabbini, virum esse uxoris dominum, ac proinde posse eum uti corpore uxoris suæ utcumque voluerit, non aliter quam ille qui piscem emit. Is enim tam anterioribus, quam posterioribus piscis ejus partibus ad arbitrium vesci potest. Ord. 3, tract. 3, dist. 2.

(75. « Si quis aut filiam suam, aut sororem suam, sibi matrimonio junxerit, is rem Deo facit gratissimam. Ord. 2, tr. 1.

(76. « Rabbinum, qui non oderit hostem suum usque ad mortem, et qui vindictam adversus eum non quaesierit, indignum esse nomine rabbinum. Ord. 5, tr. 1, dist. 2.

(77. « Gravius plectendos esse eos, qui contradicunt verbis scribarum, quam verbis Mosaicæ legis, quibus qui contradixerit absolvi potest, qui vero verbis rabbinorum contradixerit, morte moriatur. Ord. 4, tr. 4, dist. 10.

(78. « Si testes de falsitate convicti fuerint, puniri debent pœna talionis. Quod si contigerit injuste accusatum fuisse damnatum, et ita pœna affectum; tunc falsi testes absolvi debent et nulla pœna puniri. Ord. 4, tr. 4.

(79. « Si quem major pars judicum ad mortem damnaverit, is mori debet; si vero omnes, nullo excepto, in ejus damnationem consenserint absolvatur. Ord. 4, tr. 4.

(80. « Si quis marsupium loco publico invenerit, sciveritque ejus dominum jam de inventione marsupii desperasse, non tenetur ad restitutionem marsupii. Ord. 4, tr. 2, dist. 5. »

(81. Hæc autem adduxi ut christianis persuadeatur quid de perfidæ illius gentis dogmatibus sentire debeant, et patescat animus nefariorum hominum in religionem sacrosanctam. Hunc finem producendi nonnulla ex *Thalmud* habebat Sixtus Senensis, qui ita mentem suam aperit. « Decreveram profecto nullam librorum habere mentionem, et omnem doctrinæ hujus memoriam, quantum fieri potuisset, silentio aboleri; sed quoniam me præteritorum temporum experientia docuit, hujusmodi volumina toties extincta, iterum instar hydræ capita reviviscere, permittente id principum christianorum avaritia, qui quovis pretio inducti, facultatem instaurandi hos libros Judæis vendunt; ideo me operæ pretium facturum existimavi, si turpitudines, impietates, et blasphemias nonnullis *Thalmudicis* voluminibus compre-

hensas aliqua ex parte manifestarem, annotatis nominatim libris, ubi hæc habentur, ut si quando hæc nefaria scripta, quibus adhuc abundat Asia, Africa, Græcia, et Germania apud nos revocentur in lucem, habeant pietatis christianæ propugnatores indicem, quo veluti manu ducantur ad inventendos locos, in quibus prædictæ blasphemias scriptæ sunt, et his detectis, christianos principes iterum adversus renascentis hydræ colla inflamment. »

(82. Subjungit deinde nonnulla, quibus capitale Judæorum odium in christianos innotescit; qualia sunt :

(83. « Statuimus, ut quilibet Judæus ter in die blasphemet omnem christianorum gentem, ac Deum precetur, ut confundat exterminetque ipsam cum regibus et principibus suis; atque hoc maxime faciant sacerdotes Judæorum in synagoga ter quotidie, orantes in odium Jesu Nazareni; in Thalm. Ord. 1, tr. 1, dist. 4.

(84. « Deus præcepit Judæis, ut quovis modo, sive dolo, sive vi, sive usura, sive furto facultates christianorum sibi vindicent. Ibid.

(85. « Præcipitur omnibus Judæis, ut christianos omnes loco brutorum habeant, nec aliter eos tractent, quam bruta animalia. Ord. 4, tr. 8.

(86. « Judæus gentilibus, neque boni, neque mali quidquam faciat. Christianum vero omni studio atque industria conetur de vita tollere. Ord. 4, tr. 8, dist. 2.

(87. « Si quis Judæus christianum præcipit propinquum inspexit, ipsum statim præcipitare tenetur. Ord. 4, tr. 8.

(88. « Imperium christianorum execrabilis est imperio cæterarum gentium, et levius peccatum est servire principi gentili quam christiano. Ord. 2, tr. 1, dist. 5.

(89. « Templum christianorum sunt domus perditionis et loca idololatriæ, quæ Judæi tenentur destruere. Ord. 1, tr. 1, dist. 2.

(90. « Evangelia christianorum, quæ inscribi debent iniquitas revelata, et peccatum manifestum, a Judæis comburi debent, etiamsi in eis nomen Dei contineretur. »

(91. Hic igitur Thalmud, sive Jerosolymitanus, sive Babylonicus, demptis etiam ineptiis, figmentis et blasphemis, scriptus est Judæorum perveracium odio in Christum, et christianos capitali flagrantium, ac pleraque in eo scripta tacite et aperte christianæ fidei mysteria obscurant, vel avertere nituntur, et ad superstitionem ducere. Uterque sæpe ab Ecclesia catholica jussus est comburi, idque aliquoties justissime factum, quia plurimis gravissimisque contra Christum Dominum, divinamque Majestatem, et hujus administros, et amicos, Angelos, et Testamenti Veteris Divos, beatissimam Virginem Mariam, christianos omnes, imo et contra Moysis Legem, jus gentium, atque omnem naturæ legem, et rectam rationem erroribus, mendaciis, contumeliis et blasphemis scatet.

(92. Quocirca Gregorius Nonus omnia Thalmudica volumina flammis adjudicavit anno 1230, et pontificium decretum instauravit Innocentius IV, anno 1244, Clemens IV,

Honorius IX, et Joannes XXII. Cum autem eadem volumina a Judæis pristino nitore restituta fuissent, et artis typographicæ præsidiiis in infinitum prope numerum propagata, Julius Papa III, novo edicto promulgato, inquiri jussit, et anno 1553, cum Festa Tabernaculorum a Judæis Septembri mense celebrarentur, per omnes Italiae urbes exuri jussit. Postea Paulus Papa IV, una cum sacrosancto Inquisitionis senatu anno 1559, idem fieri imperavit, et Talmudicos libros inter scripta, ab Ecclesia catholica damnata connumerari voluit. Exstat etiam ea de re Pii V decretum anni 1566, et Gregorii XIII, quo statuitur, ut ab inquisitoribus procedatur contra Judæos hujusmodi volumina retinentes; et tandem Clementis VIII, contra impia scripta, ut loquitur constitutio anni 1593, et libros Hebræorum Thalmudicos, Kabalisticos alios, opera, tractatus, volumina, et scripta quæcumque tam lingua hebraica, quam quavis alia lingua conscripta; aut versa, edita, impressa, ac in posterum conscribenda, aut vertenda, edenda, vel imprimenda, continentia, seu continentes tacite, vel expresse hæreses, vel errores contra sacras Veteris Legis scripturas, nec non contumelias, impietates, blasphemias, contra Deum, Sanctissimam Trinitatem, Salvatorem nostrum, beatissimam Virginem, beatos Angelos, Patriarchas, Prophetas, Apostolos aliosque Sanctos Dei, Sanctissimam Crucem, sacramenta novæ Legis, sacras imagines, sanctam catholicam Ecclesiam, Sedem Apostolicam, ac contra Christi fideles, præsertim episcopos, sacerdotes et alias ecclesiasticas personas, atque etiam contra neophytos, et alias contra catholicam Religionem, vel in quibus impudicæ et obscenæ narrationes habentur, etiam sub prætextu, quod expurgatæ fuerint, vel donec expurgentur. Item impii Thalmudici, Kabalistici, aliisque nefarii Hebræorum libri omnino damnati, et prohibiti maneant, et censeantur. Idem fecerunt principes sæculares. In Gallis S. Ludovicus rex Francorum anno 1240. In Hispaniis Ferdinandus et Isabella, et antea Livigius, ac demum Carolus V. In dominio Veneto Benedictus Vaterius Marcus Centanus, et Franciscus Longus senatores, anno 1553. Imo constitutio Justiniani imperatoris contra Judæos et eorum scripta, intelligitur de libris Thalmudicis, adeo ut omnino prohibiti sint, nec eorum correctio per Bullam Clementis VIII admittatur; hactenus Pign. loc. cit.

(93. Hebræorum lingua ad pronuntiandum est adeo difficilis, ut S. Hieronymus in illa peritissimus extremitatem, seu superfluitatem dentium sibi limare fecerit ad illam recte pronuntiandam, ut observant historici illi, quos referunt, et sequuntur Gonzalez in cap. *Ex parte*, num. 10, in fine de corpor. vitiat.; Majol. de Irregular. lib. 1. cap. 14; Ursaya Instit. Crimin. l. iv. tit. 10, num. 75.

(94. Hebræi, et Judæi, unde sic dicti. Vide verb. Thalmud Hebræorum numer. 1, ubi et de proselytis.

(95. Additur ad rem attendenda constitutio

Benedicti XIII, incipiens *Alias emanarunt*, edita 22 Martii 1729, in qua confirmatur constitutio Innocentii XIII, incip. *Ex injuncto*, super prohibitionem mercaturæ rerum novarum Judæis tum in statu, tum extra statum ecclesiasticum degentibus, in qua inter alia statuitur quod Hebræi, qui in detrimentum mercatorum christianorum bombycinos folliculos, vulgo cocconi o bocci, a christianis emere, et mercari, ac sericum texere, pannosque sericos contexere præsumunt, in posterum id nullimode possint, expresse declarando quod sub novarum rerum mercimoniis prohibitionem eis factam, tam texturam, et confectionem serici ejusdemque generis, vel speciei, quam emptionem, et venditionem etiam indirectam novi serici, sive contexti, sive non contexti, ac folliculorum bombycinorum, quos gallico idiomate *cocon*, italice vero *coccone*, seu *boccio* appellant, comprehendendi, et comprehensas esse intelligatur; cum Judæi sola arte *straciaria*, seu *cenciaria*, ut vulgo dicitur, contenti, aliquam mercaturam frumenti, vel hordei, aut aliarum rerum usui humano necessarium facere solum possint; insuper nec ut medici, etiam vocati, et rogati ad curam christianorum accedere possint; nec se a pauperibus christianis dominos vocari permittere; nec nutrices, seu ancillas, aut alios utriusque sexus servientes christianos habere, vel eorum infantes per mulieres christianas lactari, aut nutririi facere; seu dominicis, vel aliis de præcepto Ecclesiæ festis diebus in publico laborare, aut laborari facere, seu christianos quoquomodo gravare, ut contractus fictos, vel simulatos celebrare, seu cum ipsis christianis ludere, aut comedere, vel familiaritatem, seu conversationem habere. Hinc sancitum est, ut Judæi a christianorum domibus penitus sint sejuncti, et quod signum aliquod adferant, ut dignoscantur. Hæc et alia jam prius statuerant varii alii Summi Pontifices, et signanter Clemens IV, constitut. incip. *Cum sæpe*; S. Pius V, const. incip. *Romanus Pontifex*; Paulus IV, constitut. incip. *Cum nimis absurdum*; et dictus Innocentius XIII, constit. incip. *Ex injuncto*, ubi et alias supradictorum Pontificum confirmans, uti jam fecerat Paulus IV, inhibet Judæis bona stabilia comparare, et possidere, et etiam conducere, ac hujusmodi.

(96. Judæi sunt in servitute apud christianos, non quidem pœnali, sed civili. Benedict. XIV, tom. 2, constitut. 28, incipiens *Postremo mense*, § 12. Hebræi sparsim per ditionem ecclesiasticam degentes a S. Pio V, a Sixto V et Clemente VIII, in varia loca restricti fuere, nempe a S. Pio V, in solis civitatibus Romæ, et Anconæ, et Sixto V, in solis locis mœnibus septis: a Clemente VIII, in civitatibus Romæ, Anconæ et Avinionis. Cum vero Apostolica Sedes Urbini Ferrariæque civitates recepisset, non ejecti fuere Judæi ab iis urbibus, oppidisque, ubi antea per duces iis licuerat commorari. Idem ibidem § 12. Ex quo Hebræi a christianis principibus in suis ditionibus tolerentur,

sequitur quod nec vi, nec injuriis, contra Asyli jus, cum ipsis sit agendum. Idem ibid. § 13. Unde Judæi non vi, sed instructionibus et suasionibus ad fidem amplectendam adduci debent. Idem ibid. § 37. Sisebutus Hispaniarum rex Judæos per vim ad Baptismum suscipiendum impulit. Quod non fuit commendatum. Idem ibid. § 38 et 39. Judæis Romæ semel in singulas hebdomadas Evangelium annuntiatur, ipsique hujusmodi prædicationi interesse coguntur. Idem ibid. § 59, in fine.

(97. Hebræus septennio major, si catholicam Religionem amplecti se velle ostendat, et de hoc denuntietur, evocari et interrogari debet de causa, qua motus est; et in Christiana fide est instituendus cum omni diligentia, ut dignoscatur quo spiritu ad Ecclesiæ societatem optandam adducatur. Idem ibid. § 40 et 41. Judæus denuntiatus de voto suscipiendi Baptismum, non statim retinendus est, nisi judices sint duo saltem testes per omnia conformes, aut omni exceptione majores. Idem ibid. § 16. Et in dubio de ejus vera voluntate judex catholicus, qui Romæ est Vicesgerens pro tempore; ejus voluntatem extra Ghetto, vel in ejus domo, vel in aliqua ecclesia, vel alio loco sibi beneviso semel atque iterum, aut etiam pluries explorabit, ut Hebræi consilio clare perspecto, eum tuto jubeat, aut ad Ghetto remitti, aut catechumenis recenseri. Idem ibid. § 56 et sequent.

(98. Hebræus puer, si Baptismum petisse denuntietur, sed rationis usum non habere reperitur, parentibus est restituendus. Idem ibid. § 40. Si autem ratione præditus invenitur, et Baptismum petat, sive completo, sive non completo septennio, baptizandus erit, etiam in vitis parentibus. Idem ibid. § 32. Si autem dubitetur de perfecto rationis usu, non statim restituendus erit, sed differri debet Baptismus, donec certa ratione utens, et auditis fidei christianæ documentis, voluntatem suam aperiat. Idem ibid. § 33.

(99. Hebræorum filii, liberi arbitrii usum non habentes, in vitis parentibus baptizari non debent. Ibid. § 43. Judæorum infantes parentibus orbi, et sub tutela degentes, absque tutoris assensu baptizandi non sunt. Idem ibid. § 14. Hebræorum filii infantes baptizari possunt, si mortis in periculo inveniantur. Idem ibid. § 8. Item si crudelem in modum a parentibus deserantur, nempe si in loco publico, soli, derelicti, abjecti, atque omni cura et spe destituti reperiantur. Idem ibid. § 9. Item si ad Baptismum offerantur a patre, etiam invita matre; et etiamsi a matre offerantur sine patris consensu. Idem ibid. § 15 et 16. Item si ab avo paterno, in cujus potestate sunt, offerantur ad Baptismum etiam utroque genitore invito. Idem ibid. § 17.

(100. Judæorum infantes obliti a parentibus, qui semel dixerunt se catholicam fidem amplecti velle, etiamsi parentes a proposito recedant, sunt baptizandi. Idem ibid. § 58. Qui autem infantiam excesserint, non co-